14/
CASS

RICHARD C. KESSLER
REFORMATION
COLLECTION

PITTS THEOLOGY LIBRARY
EMORY UNIVERSITY
MCMLXXXVII

QVAEDAM SCRIPTA THEOLOGORVM VVIRtenbergicorum & Victorini Strigelij, unde liquet, quid illi de ipsius Papistica Synergia sentiant.

Rom. 7.

Reperio igitur per legem uolenti mihi facere bonum, quòd mihi malum adiunctum sit. Delectat enim me lex Dei secundum internum hominem: sed uideo aliam legem in membris meis rebellantem legimentis meæ, & captiuum reddẽtem me legi peccati, quæ est in membris meis. Miser ego homo, quis me liberabit ex hoc corpore mortis? Gratias ago Deo per Iesum Christum dominum nostrum. Itaq; idem ego MENTE *quidem seruio legi Dei,* CARNE *uerò legi peccati.*

En habes liberum arbitrium carnalis naturæ ac rationis in renato: Quàm bonam quæso putas esse eius Synergiam in non renatis?

1564.

LITERAE DVCIS AD VICTORINVM STRIgelium.

LIeber besonnder/ wier haben Ewer schreiben/ des datum den viij. May/ sambt mit überschickhtem büch/ was jhr über den Psalterium geschriben/ empfangen/ vnnd seines inhalts genügsam vernomen.

Was dann Ewr danckhsagung belanget/ das wier zů Ewr erledigung so mündtlich/ so schrifftlich für vnns selbsten/ vnd durch vnsere jeder zeyt gesanndten/ an vns nicht haben erwinden lassen/ Ist soliches alles der Kirchen vnd Schůlen tzů gutten/ vnnd euch zů gnaden mit willen geschehen/ damit die ergerliche spaltung auffgehabē/ vnd baides in der Kirchen vnd Schůlen Christlicher frid angestallet.

Vnd nach dem wier durch vnsere vergangnē Jars gegen Weymar abgesanndtē Theologen berichtet worden/ welicher gestallt der streitt/ so sich zwischen Euch/ den Theologen vnd Kirchendienern zů Jhena etlicher zeyt her gehalten, Christlich hingelegt vnnd verglichen/ haben wier soliches mit sondern freuden gehöret. Der vrsachen vnns desto mehr befrömbdet/ das jhr/ noch ermellter Concordy/ Euch so baldt widerumb von Jhena hinweg gethan/ dardurch maniglicham allerley nachdencken gemacht/ vnnd die leydige ergerliche spaltung widerumb erweckt möcht werden.

Dieweil jhr denn in ermeltem ewrem Commentario den Christlichen leser in die außlegung des 95 vnnd 119 Psalmen weysen/ als da jr Ewre meinung von dem

Freyen willen des menschen auffs deutlicheſt vnnd ve
ſtendigeſt erklären/haben wier ſoliches zů leſen/vnd mit
allem vleiß zů erwegen/vnſere hierzů verordneten Th
logen beuolhen/ vnnd aufferlegt/ So vns jr Judicium
zůgeſtelt, wie jr jn beygelegter Copey zůſehen.

Nach dem wier nuhn daruon verſtehen kunden/da
in obberuhrter Ewer erkhlerung die ſachen tunckel vn
zweifelhafftig furgetragen/ Alſo/ das es einen anſeh
wil, als ſolte es mit der geſtelten Concordy nicht alle
dinges einſchlagen wollen / Auch jhr der vrſachen vn
ewren Commentarium zůgeſchickht/da vnſere Theolo
gen etwas bedenckens in angeregtē orthen hörten/ au
nicht zůuerhalten.

So hielten wier fur Chriſtlich/ nutzlich vnnd no
wendig/weitter gezenckh vnd ergerliche zweiſpalt fü
zukhommen/ jhr hettet vermöge der zů Weymar gem
ſen Chriſtlichen Concordy/ ewre meynung de Libe
arb. ettwas khlärer/vnnd der geſtalt dargethand/ar
mengklich ſehen möge/ daß jhr dem verderbten will
des alten/vnd nicht widergebornen Sünders in der
kherung kein krafft noch neygung/ſondern alles der gn
den Gottes vnnd der krafft des heiligen Geiſtes zů
ſchreiben.

Denn jhr Euch ſelbſt woll zůerinnern wiſſen/wel
cher geſtalt vor diſer zeit aus miſuerſtandt ettlicher w
nig wörter beſchwärliche vnd ERGERLICHE d
putationes vnd trennungen entſtanden/ da die ſelbig
wie ſich gebuhret DEVTLICH ERKLERET
die Kirchen nicht betrůbet/ oder doch bald widerum
zů rhůe vnnd frieden gebracht wehren worden/welche
wo

wir Euch als einem gelerten/vnd der heiligen Schrifft verstendigen/zů mehreren nachdenckhen nicht verhalten wollen/ vnnd seien Euch sonsten mit gnaden geneiget.

Datum Stuodgartt/den xiiij Julij/
Anno 1563 Jar.

CENSVRA THEOLOGORVM VVIRTENbergicorum.

ILlustrißime & pientißime Princeps, Domine clementiß. Quæ M. Victorinus Strigelius in Psalmum 95 & 119 de Libero arbitrio scripsit, ex uestræ Celsmandato legimus, & diligenter expendimus. Cùm igitur uestra Celsit. de hac ipsius commentatione nostram sententiam quæsierit, eam potißimùm ob causam, ut uideri poßit, an cum formula concordiæ proximo superiore anno Vinariæ facta consentiat, eã breuiter & perspicuè exponemus.

Ingenui hominis est, in aliorũ scriptis iudicandis candorẽ adhibere: quod & Dominus à suis exigit, & charitas Christiana suadet.

Quod igitur ad loca commemorata attinet, ad quæ Lectorem remittit (integrum enim in omnes Psalmos Commentariũ per occupationes legere non potuimus) ita iudicamus mentem authoris, si uerba spectes, explicatam: ut huius controuersiæ imperitis satisfecisse uideri poßit. perspicuè enim testatur, animũ nostrum & uoluntatem in conuersione PASSIVE' concurrere, priusquã à Spiritu sancto IMMVTETVR & disponatur. Quibus uerbis uoluntati hominis non rege-

nerati omnes uires derogare uidetur, quibus sese uel ad gratiam PRAEPARARE uel APPLICARE possit. Idem Augustini testimonio cõfirmat: Profectò, inquit, & ipsum uelle credere Deus operatur in homine, & in OMNIBVS misericordia eius PRAEVENIT nos.

Verùm dissimulare neq; debemus, neq; possumus, authorem NONDVM, quamuis SAEPE multumq; admonitũ, abstinere ab AMBIGVIS uocabulis & phrasibus, quæ non eodẽ modo INTELLIGI possunt, IDQVE à nobis IMPROBARI: cùm in explicatione mentis nostræ & controuersiarũ maximè PERSPICVITATI & simplicitati studẽdum sit. In Psal. 95 scribit: Voluntas non sit IGNAVA, nec CONTVMAX, sed VELIT aliquo modo OBEDIENTIAM.

Item, Voluntas & cor non omnino repugnans, sed EXPETENS consolationem diuinam, cùm quidem à Spiritu S. ADIVVATVR.

Item sciendum est, fidem Dei donum esse, sed donari audientibus & annuentibus. Quis hic non arbitretur, Victorinum NONNIHIL uirium tribuere homini non regenerato? disertè enim discernit inter fidem & ANNVERE, quod aliud sit, quàm ipsa fides, quod cum formula concordiæ PVGNARE uidetur. Cuius hæc sunt uerba: De uirtute autem, seu ui & efficacia sancti Spiritus, assero me homini non renato ante conuersionem seu regenerationem NVLLAM PRORSVS VIM, EFFICACIAM, uirtutẽ, δύναμιν, aut in natura latentem aliquã SCINTILLAM

LAM *post lapsum in homine* SVPERSTITEM, *qua sese ad gratiam Spiritus sancti præparare aut conuertere possit, tribuere.* Et paulo pòst: Hæc, *inquit, mea est, & semper fuit, de* Libero arbitrio *sententia, etiãsi phrasi loquẽdi usus sum, à qua alij abhorrebãt, ex qua intelligitis me* NVLLAM *prorsus* VIM *aut* EFFICACIAM *tribuere homini non renato in spiritualibus, ad conuersionem seu regenerationem: sed* OMNIA *tribuere* SOLI Deo *trahenti, qui operatur in nobis cogitare* VELLE *perficere, ut impleatur quod scriptum est:* Quid habes, quod nõ accepisti? Si uerò accepisti, quid gloriaris quasi non accepisses? Item in declaratione Victorini: Restituitur efficacia, de qua dixi, non humanis uiribus, nec ullius creaturæ robore, sed à Deo per Filium mediatorem & Spiritũ sanctum, ut hæc dicta clarè affirmãt: Nemo potest sibi quicquam sumere, nisi sit ei datum desuper: Nemo uenit ad me, nisi pater traxerit eum: Deus est, qui dat uelle & perficere.

Cum hac ipsius declaratione pugnare uidentur, quæ in Psal. 119 scribit: Non enim (inquit) omnimodo DELETVM est in corde hominis per peccatum, QVOD ibi per IMAGINEM Dei, cùm crearetur, impressum fuerat: neque adeò imago Dei DETRITA est illa labe, ut nulla in anima uelut lineamenta extrema remanserint: remansit enim, quod homo non nisi rationalis esse potest. Cùm autem imaginem Dei sentiat author esse partim in mente, partim in uolũtate: uidetur omnino aliquas uires asserere, quæ tanquã extrema lineamẽta sint reliqua: quod cùm ne-

que affirmet expreßè, neq; neget, non ſine cauſa obſcuritas hæc orationis reprehenditur. Verùm ne fortè minus ipſius opinionem nos aſſecutos, quis dicere poſſit, quæ noſtra de hac parte doctrinæ cœleſtis ſententia ſit, planißimè exponemus.

In controuerſia de libero arbitrio, ante omnia, quid Voluntatis nomine intelligamus, explicandum eſt. Aliàs enim potentiam animæ ſignificat, quæ ſubſtantialis eſt in anima: ita enim à Deo conditus eſt homo, ut poſſit uelle: quod in brutis animantibus non eſt. Aliàs ſignificat qualitatem in anima, tanquam in ſubiecto, ſiue potentiam ſiue actum: quæ duplex eſt, bona & mala, aut (ut cum Scriptura loquamur) uetus & noua.

Cùm igitur de noua uoluntate creata in homine diſputatur, non intelligendum eſt de potentia animæ ſubſtantiali. Non enim creatur noua ſubſtantia in homine renato, aut noua anima: ſed manet etiã poſt lapſum homo conſtans duabus partibus ſubſtantialibus, corpore & anima, in qua ſunt potentia intelligẽdi, uolendi, ſentiendi. Sed diſputatio eſt: Cùm uoluntas hominis nõ regenerati ſit corrupta, & mancipium ſatanæ facta, an adhuc in eo ſint RELIQVAE uires ad bonũ, quibus ex ſe poßit aliquo modo bonũ VELLE, & promißionibus ANNVERE.

Hanc controuerſiam Scriptura ſacra luculenter explicat ac dirimit: quæ docet, in homine non regenerato unã, in renato aũt duas uoluntates eſſe. Loquimur aũt, ut diximus, non de ſubſtantia uoluntatis humanæ, hoc eſt, de anima ipſa, quoad ſubſtantiam: ſed de his quæ animæ inſunt potentijs & uiribus ad bonum & malum,

& ea-

& earundem actibus. Nam in homine non renato uoluntas NON MODO' NIHIL potest ad bonũ, sed etiam AD MALVM CONVERSA est. Non solùm non potest assentiri & OBEDIRE, sed etiam nihil aliud quàm dissentire & repugnare, sicut Apostolus testatur: Ex nobis, tanquam ex nobis, nõ sumus idonei aliquid boni cogitare. Et hæc uoluntas est pars ueteris hominis: hæc non mutatur aut renouatur, sed expellenda est & mortificanda in homine saluando, quæ etiam in renatis est: &, dum hanc uitã uiuimus, non prorsus aboletur.

Sicut igitur in mente ueteri cæcitas est, quemadmodum Apostolus loquitur, Animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei: ita in uoluntate est auersio à bono, & conuersio ad malum, ut non nisi malum uelit, quemadmodum ex Apostolo auditum est.

In homine autem per Spiritum S. regenerato est duplex uolũtas, uetus & noua. Sic enim de seipso iam regeneratus scribit D. Paulus: Non quod uolo, bonũ, hoc facio: sed quod nolo, malum, hoc ago. Si autem quod nolo, illud facio, iam non ego operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Inuenio igitur legẽ uolenti mihi facere bonum, quoniam malum mihi adiacet. Condelector enim legi Dei, secundum interiorem hominem. Video autem aliam legem in manibus meis, repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me legi peccati, quæ est in membris meis. Et Gal. 5. Spiritu ambulate, & desideria carnis non perficietis. Caro enim concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Hæc sibi inuicem aduersantur, ut non quæcunq; uultis,

eadem etiam faciatis. Et iterum: Expoliantes uetere hominem cum actibus suis, & induentes nouum, qui renouatur ad agnitionem eius qui creauit illum.

Hæc Apostoli testimonia probant, non modò in homine regenerato duas diuersas & contrarias esse uoluntates: sed simul etiam docent, ueterem uoluntatem prorsus abolendam, non renouandam: & nouam in eo uoluntatem per Spiritum S. creari, qua potest annuere & assentiri docenti Deo, & trahenti hominem ad agnitionem ueritatis, & sectandam iusticiam eius.

Cùm igitur Victorinus subinde repetat, homine aliquo modo VELLE & ANNVERE promissionibus Dei non cõtumaciter repugnare: nec EXPLICET, de qua uoluntate loquatur, ueteri aut noua: iudicamus hanc OBSCVRITATEM non esse probandam. de qua cùm SAEPE MVLTVMQVE admonitus sit, præsertim quando formula cõcordiæ conscripta est, & per ipsum confirmata: & ad loca commemorata remittat Lectorem, in quibus sentẽtiam suã perspicuè explicandam susceperit: MIRAMVR eum AMBIGVITATVM & OBSCVRITATIS LATEBRAS quærere: ac speramus, si commonefactus fuerit, eum sentẽtiam suam ea perspicuitate orationis, sine inuolucris uocabulorum, ita explicaturum, ut uniuersa Christi Ecclesiã intelligat, eum ueteri uoluntati nihil prorsus tribuere: quæ (ut diximus) nõ modò à bono auersa est, sed etiam ad malum conuersa & captiua, ut ex se suisq; uiribus nihil boni uelit. sicut scriptũ est: Affectus carnis inimicitia est aduersus Deũ. nam legi Dei non subditur: siquidem nec potest quidẽ.

Quod

Quod nisi fecerit, non uidemus quomodo hæc obscuritas orationis & uocum ambiguitas cum formula concordiæ consentiat, in qua hæc uoluntatis humanæ ratio perspicuè explicata est. In Ecclesia enim, uocabulorum AMBIGVITATE *non est ludendum: sed res, præsertim quæ in cõtrouersiam uenerunt, quoad eius fieri potest, diligentißimè & disertißimè explicandæ sunt.*

Hæc sunt, Princeps illustrißime, quæ ex locis recitatis in libro Victorini Strigelij annotare uisum est: ut pientißimæ Celsitudinis V. uoluntati satisfaceremus. Et quia ad Cel. Vestram tanquã ad CENSOREM *grauißimum (libet enim eius uerba repetere) hunc suũ Commentarium misit: & in Præfatione libri sui testatur, se etiam aliorum* IVDICIA *haud grauatim subiturum: Confidimus, piam admonitionem minus eum molestè laturum. Actum Bebenhusij, 10. Iulij, Anno 1563.*

Deus puniet seueriſsimè etiam in extrema die illum impium Cothurnum perniciosæ transactionis, cum ſuis fabris, qui amplius quadraginta pios Doctores unà cum uxoribus & paruis liberis per Pontem in exilium pepulit, Thuringicas ecclesias euertit: & ueritatem cœlestem, iam in ea controuerſia illuſtratam, cum ſuo nouo & prodigioſo MODO agendi obſcurauit, ac deniq; infinitorum puſillorum Chriſti conſcientias exitiabiliter perturbauit & illaqueauit.

rini Strigelij.

S. D. Illustrißime Princeps, Domine clementißime. Literas Celſ. Veſtræ unà cum honorario nõ ſolùm accepi, ſed etiam cum debita reuerentia & ſubiectione legi, & attentè conſideraui. Vt aũt pro honorario, & pro reliquis in me meritis reuerenter Celſit. Veſtræ gratias ago, & gratitudinẽ non tam uerbis exercere quàm ipſo facto, ſi fieri poſſet, teſtatam facere cupio: Ita uehementer doleo, Cel. Veſt. iudicio nec diſceſſum meum ex Academia Salana, nec declarationem ſententiæ meæ de Libero arbitrio probari. Si enim priuatorum hominũ iudicia non ſunt negligenda: quo tandem animo me eſſe oportet, cùm intelligã meas actiones & conſilia tanti Principis cenſuræ non ſatisfacere?

Etſi aũt mihi nihil acerbius in uita accidere poteſt, quàm ijs diſplicere, quorum approbationi nulla poſſeſſio, nulla uis auri & argenti anteferenda eſt: tamen in teſtimonio conſcientiæ meæ acquieſco, & Deum inuoco, ut mentes bonorum Principum flectat ad me miſerum tutandum & confirmandum: præſertim cùm de NVLLA RE magis ſollicitus ſim, quàm de optimo Eccleſiæ ſtatu: cuius duo ſunt nerui, puritas doctrinæ, & docentium concordia.

Quod enim ad diſceſſum meũ attinet ex Thuringia, uerè & ſine ſimulatione affirmare poſſum, me nulla uindictæ cupiditate aut amore ſerẽdi lites ex litibus impulſum eſſe, ut aliud hoſpitium quærerem: ſed ob hanc cauſam in uicinam Academiam migraſſe, ut maiore animi trãquillitate, & minore periculo corporis & fa-

me,

mæ, operas scholasticas facere possem. Me autem uerè dicere, testatur cursus meorũ laborum: quem ita teneo per Dei gratiã, ut nemo in eo uestigiũ animi ad nocendum instructi hactenus uiderit. Possem & alias causas non leues neq; infirmas mei discessus exponere, nisi mihi ratio habenda esset Celsi. Vest. ad quam hæc scribo. Quod aũt Celsit. Vestræ non satisfacit mea declaratio, in qua mihi quidem nihil uel obscuritatis uel ambiguitatis inesse uidetur, ex eo maiorem animi dolorem capio. Nulla enim uictoria, nulli triumphi magis digni sunt laude in Ecclesia, quàm res ueras rectè & perspicuè bono genere sermonis exponere. Vt enim picturã laudamus, rectè imitantem figuras corporum: sic in omni ratione dicendi & scribendi summum decus est, res uerè cogitatas oratione propria illustrare.

Quæ cùm ita sint, uehementer doleo, me tot annis in studijs doctrinæ uersatum esse: nec tamen didicisse, qua lege uerborũ in tanta rerũ expositione utendũ sit. Sed me consolatur iudiciũ sanctißimi senis, & illustrißimi Principis Alberti ducis Prußiæ, &c. domini mei clemẽtißimi, cuius exemplũ bona fide descriptũ ad Celsi. V. reuerenter mitto: ut hoc lecto animaduertat, QVALEM CANDOREM Theologi ad iudicandum attulerint.

Ac ne Theologi sibi blandiantur, quasi re præclarè gesta: adiunxi grauiß. iudicio optimi Principis, meam responsionem ad censuram Theologicã: quam, ut Celsi. Vestra pro sua heroica clementia benignè legat & consideret, ea, qua par est, reuerentia supplex peto.

Hæc de literis Celsi. V. breuiter simpliciterq; respon

dere uolui: ac Deum ardentibus uotis precor, ut Celsit. Vestrã unà cum cõiuge nobilißima, & liberis generoßißimis, diu incolumem ac florentem conseruet: cui etiã me ſubmißè commendo. Lipſiæ, Calendis Septemb. Anno Chriſti 1563.

STRIGELII REFVTATIO præcedentis cenſuræ.

OMnes qui de ſumma doctrinæ conſentiunt, amicos inter ſe eſſe oportere ſtatuo: & candorem adhibere in iudicandis amicorum dictis & ſcriptis, etiamſi in alicuius rei explicatione alius alio dexterius aut incommodius loquatur. Quare cùm mihi perſuaderẽ, Theologos mecum non ſolùm amicitia, ſed etiam conſenſu de uera doctrina coniunctos eſſe: nihil minus ab eis expectaui, quàm talem cenſurã, in qua mihi tribuitur amor obſcuritatis & ambiguitatis.

Etſi aũt non rudis tyro ſum in hac militia tolerãdarum iniuriarũ: nec me pœnitet multorum diſſimulaſſe & obruiſſe ſilentio inſulſißimas calumnias, quia Deus profert tandem ueritatem, & defendit eos qui propter publicam tranquillitatem priuatæ iracundiæ frenos injiciunt: tamen de præcipuis capitibus cẽſuræ modeſtè & breuiter reſpondebo, ne mihi honeſta oratio in defenſione ueritatis defuiſſe uideatur.

Principiò fatẽtur Cenſores, mentem meam, ſi uerba ſpectentur, explicatam eſſe. Hæc confeßio ſatis declarat, QVO ANIMO ad iudicandum acceſſerint. Optimus enim Lector eſt, ut ait Hilarius, qui dictorũ intelligentiam expectat ex dictis potius, quàm imponat, & retulerit magis quàm attulerit: neq; cogat id uideri dictis

dictis contineri, quod ante lectionem præsumpserit intelligendum. Huic præcepto si obtemperassent Censores, hauddubiè mihi nullam litem de uerbis mouissent, in quibus profectò nihil est uel obscuritatis, uel ambiguitatis.

Deinde reprehendunt hæc uerba, quæ extant in Psalmo 119. Non omnimodo deletum est in corde hominis per peccatum, &c. Cùm quidem constet, eisdem uerbis usum esse Augustinum in lib. de Spiritu & litera, cap. 28. Verè autem de hoc libro ipse Augustinus in lib. 2. Retractationum, cap. 37 pronunciat: In libro de Spiritu & litera, quantum Deus adiuuit, acriter disputaui contra inimicos gratiæ Dei, qua iustificatur impius.

Sed ne uidear ex uno loco æstimare perpetuam Augustini sententiam, aliquot eius dicta recitabo, quæ in longioribus scriptis leguntur. Sic enim lib. 22. de Ciuitate Dei, cap. 24 scribit: In homine non penitùs extincta est quædam ueluti scintilla rationis, in qua factus est ad imaginem Dei. Et Tract. 1. in Ioannem: Pecora non illuminantur: quia pecora non habent rationales mentes, quæ possint uidere sapientiam. Homo autem factus ad imaginem Dei, habet rationalem mentem, per quã possit perspicere sapientiam. Ergo Christus lux est non animalium quorumcunque, sed hominum. Item tract. 110. in Ioannem: Et quia iniquitas nostra opus eius non ex omni parte consumpserat, nouerat simul in unoquoq; nostrûm & odisse quod feceramus, & amare quod fecerat.

Ex his dictis & alijs multis perspicuum est, Censores,

res, cùm me accusant, Augustinum accusare: cuius negligentiam aliorum OBSCVRAE diligentiæ longè antepono.

Sed repetunt uerba ex Psalmo 95. Voluntas non sit ignaua, nec contumax, &c. Et inde nescio quas consequentias extruere conantur: perinde quasi Augustinus acerrimus defensor gratiæ, non eodem modo loquatur. Hæc enim sunt uerba Augustini tract. 76. in Ioannem: Deus, Trinitas, Pater, Filius, Spiritus S. ueniũt ad nos, dum uenimus ad eos. Veniunt illi subueniendo, uenimus nos obediendo: ueniunt ipsi illuminando, uenimus nos intuendo: ueniunt illi implendo, uenimus nos capiendo. Et tract. 27. in Ioannem: Qui resistit, non credit. nam qui resistit, quomodo uiuificatur? Aduersarius est radio lucis, quo penetrandus est: non aduertit aciem, sed claudit mentem.

Et quoniam me CONTRADICTIONI implicare conantur Censores, repetam uerba, quibus ipsi usi sunt in titulo De libero arbitrio: quæ quomodo ad hanc censuram congruant, ipsi uiderint. Non habet quidem liberum arbitrium, quo se ad accipiendum salutem præparet, aut quo salutem mereatur: habet autẽ, quo beneficia Dei excipiat.

Postremò repetunt Censores ueterem suam CANTILENAM, de OBSCVRITATE & ambiguitate orationis meæ, & dicunt me QVAERERE LATEBRAS. Hæc repetitio odiosa euidentissimè ostendit, quàm uerè ab Isidoro apud Nicephorum dictum sit: προπάθεια μὲν ὐκ ὀξυλεπεῖ, ἀντιπάθεια δ' ἥλως ὐχ' ὁρᾷ: Antecepta quidem affectio acutum nõ uidet:

uidet: hostile uerò animi odium, nihil prorsus uidet. Sed reprimam me cogitatione insignis sententiæ, quæ apud Tertullianum extat in libro De patientia: Absit à seruo Christi tale inquinamentum, ut patientia, maioribus tentationibus præparata, in friuolis excidat.

Commendo me etiã filio Dei, & reuerenter oro illustriß. Principem dominum Christophorum, Ducem Vuirtenbergæ & Teccæ, &c. Dominũ meum clementißimum, ne de mea natura & meis moribus iudicet ex CENSVRA, *ad quam breuius equidem respondi, quàm rei magnitudo expostulat: Sed pro sua heroica clementia, me benignè cõplectatur: & sinat me esse postremo loco inter eos, qui heroicam ipsius pietatem & sapientiam, ea qua par est reuerentia & subiectione colunt.* Victorinus Strigelius.

Vbi est hic illud Christi, Scrutamini scripturas: Fundamentum & lucerna Apostolorum & Prophetarum in obscuro loco & controuersia prælucens? Sic & in suis poeticis ac philosophicis Psalmorum commẽtis, despecto prorsus & neglecto uerbo Dei, paucis lineolis & mutilis scriptorum testimonijs doctrinam Liberi arbitrij absoluit. Io triumphe, plaudite ei Synergistæ & Papistę, quòd tam perfecto opere glorioſè Seruum arbitrium Lutheri, & disputationẽ Vinariensem expugnauerit.

Hanc Vvirtenberg. Theologorũ censuram, Principis admonitionem, & Strigelij acerbam eius refutationem sequuta est disputatio illorũ Theologorũ, publicè Thubingę præsidẽte doctore Theodorico Snepfio, fratre uxoris Strigelij, peracta: in qua disertè eius Synergiã condemnarunt, ut ex sequentibus eius Propositionibus apparet.

16 At si de ea uitæ ratione loquimur, quæ & sancta sit, & Deo probetur: ibi nec RATIONIS ad intelligendum, nec VOLVNTATIS ad eligendũ bonum PARTES VLLAS esse dicimus.

17 Nam animalis homo non percipit ea quæ sunt spiritus Dei: &, Affectus carnis inimicitia est aduersus Deum. nam legi non subditur, siquidem nec potest quidem.

18 Quantum enim homines absint à uerè bonis & sanctis cogitationib. ipse cõditor ostendit, dicẽs, Cogitationes cordis humani prauas à puericia. Quod Paulus Ephesijs & Colossensibus scribens repetit, dicens: Hominum mentes obtenebratas esse, & inimicas Dei. De uoluntatis autem nostræ extrema corruptione, notissima est in Romanis eiusdem Apostoli querela.

19 Cùm ergo Sacræ literæ, ijs uiribus, in quibus uis arbitrij conspicitur, non modò conatum ad ueram pietatem amplectendam adimant, sed & deprauationem morti similem, & præterea ἄσπονδον πόλεμον, id est irreconciliabile bellũ tribuant: quis CONTRA manifestam VERITATEM homines libertate arbitrij iudicaret ornandos?

20 Certum etiam indubitatumq; est ex Apostolicis scriptis, nulla opera sancta & Deo accepta esse, nisi à Domini spiritu & uera fide proficiscãtur. VANISSIMA est ergo PERSVASIO, si nostra aliqua studia, uel conatum arbitrij nostri, misericordiam diuinam præcessisse dicamus.

21 Ad hæc, cùm filius Dei se nostræ libertatis in solidùm authorem faciat, cum dicit: Si uos filius liberauerit,

rit, uerè liberi eritis: & Paulus scribat, Deum in nobis efficere uelle & perficere: NVLLAE CERTE PARTES cõuersionis nostris VIRIBVS aut conatibus sunt tribuendæ.

22 Quid quod Scriptura testatur, in conuersione VETEREM hominem MORI, & NOVVM NASCI, nosq; fieri nouas creaturas? Quibus ostendit, adeò VOLVNTATEM nostram ueterem ad gratiam non COOPERARI Domino, ut nisi ipsa aliqua ratione REMOTA EXPVRGATAQVE ueluti fermentũ corruptæ naturæ fuerit, GRATIAE libertatiq; NON sit futurus LOCVS.

23 Deprauatione porrò naturæ nostræ Diabolus PRO SVA LIBIDINE abutitur: cumq; sit & astutissimus, & humani generis hostis summus, in hoc studium pro uiribus incumbit, ut ignorantiam cæcitatemq; mentis nostræ, quibus potest rationibus subinde augeat, libidinẽ peccandi accendat: deniq; nos in omne flagitiorũ genus, & ipsam etiã desperationẽ agat præcipites. Quæ tyrannis cùm nostris sit uiribus SVPERIOR, nõ nisi clemẽtia præsidioq; diuino ab ea liberari possumus.

24 Ex his concludimus, libertatem arbitrij nostri TVM INCHOARI, quãdo à Domino, nõ ut ALII VOLVNT emẽdatum arbitriũ, sed CREATVM fuerit. Quod Prosper his uerbis expressit: Quis ambigat tum liberũ arbitriũ cohortationi uocantis obedire, cùm in illo GRATIA DEI affectũ ere ãndi obediendiq; GENERAVERIT?

Et ali-

Et aliquanto pòst inquit prædicta Snepfij Disputatio:

27 Notandum est etiam, ea loca quæ ad conuersionem & resipiscentiam nos cohortantur, non quid nos præstare POSSIMVS, sed quid Deo DEBEAMVS, & quid ab ipso petendum sit, ostendere.

28 Ideo Saluator in oratione Dominica orare iussit, ut adueniat regnum Dei ad nos: ostensurus, ueram pœnitentiam & conuersionem, per quam regnum Dei in nobis instauratur, sic nobis mandari, ut eius consequendæ rationem extra ipsum nullam quæramus.

29 Multa sunt in hanc sententiam docta antiquitatis testimonia: sed in primis luculenta quæ Augustinus habet: & quidem illud maximè, ubi dicit, Deum ideo iubere quæ præstare non possimus, ut nouerimus quid ab ipso petere debeamus. Nec minus scitũ illud eiusdẽ authoris: Det Deus quod iubet, et iubeat quod uult.

30 Libertas aũt ista post acceptam gratiam non est omnib. numeris absoluta. Nam dũ in hac ualle lachrymarum uersamur, perpetua MANET lucta CARNIS & spiritus: quam Paulus in Romanis & deplorat, & fatetur se in mẽbris suis uidere legem REBELLANTEM legi mentis, & CAPTIVVM seruidentem legi peccati.

31 Quod si in renatis TANTO CONATV nostra uoluntas CONTRA Domini spiritum INsurgit, quem locum libertatis sub Diaboli tyrannide in impœnitentibus relictum æstimaremus?

FINIS.